DISPUTATIO JURIDICA. DE EXCEPTIONIBUS. QUAM DIVINO FRETUS AUXILIO. CONSENTIENTE...

Christian Kremberg, Buchardus Paltzovius, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

VIRIS

Ampliſsimis, Conſultiſsimis, rerumq; forenſium uſu atq; experientia præſtantiſsimis

Dn. THOMÆ HANSEN
ET
Dn. JOHANNI Schönbergen

Conſulibus inclutæ Reipublicæ Ruppinēſis dignisſimis.

Dn. NICOLAO Schrammen/
Conſuli Reipublicæ Wuſterhulanæ Spectatisſimo.

Dn. Fautoribus, Promotoribus ac reſpectivè affinibus ſuis, omni honoris & obſervantiæ cultu proſequendis

Hanc diſputationem inſcribit & offert
Burch. Paltzov. A.

In Nomine Domini Noſtri Ieſu Christi.

Theſis I.

CUm definitio maximam lucem afferat rei,quæ controvertitur, nec ea à JCtis materiam quandam tractaturis unquam negligi ſoleat, quo magis,quid res ſit,intelligi poſsit: ideoq; nos non abs re facturos, ſi ſtatim ab initio definitionem Exceptionis præmittamus,cenſemus.

II. Definimus itaq; eam *cum VVeſenb. in paratit. C. de Except. n. 2. in fin.* Quod ſit defenſio,qua certis ac juſtis ex cauſis auxilium Reo tribuitur,adverſus intentionem Actoris.

III. Summa autem earum diviſio eſt; quod quædam ſint temporales ſeu dilatoriæ: quædam verò perpetuæ ſeu peremptoriæ. § *Appellantur. 8. Inſt. de Except. l. 3. ff. eod. Arum. diſp. 19 th. 5.*

IV. Temporales ſeu dilatoriæ dicuntur, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt,hoc eſt,in certum tempus actionem inſtitutam differunt. §. *Temporales. 10. Inſt. de Except. l. 3 ff. eod. Bocer. claß 5. diſp. 16. th. 41.*

V. Harum tria ſunt genera: quædam enim judicium reſpiciunt, quædam ad litigatores referuntur: quædam cauſam ipſam complectuntur. *Zang. part. 2. de Except. in pr.*

VI. Exceptiones quæ judicium reſpiciunt, in duplici ſunt conſideratione: aut enim eô tendunt, ut judiciũ prorſus declinetur: aut tantum differatur. *Zang d.lib. Treutl. vol.2.diſp.26.th.*11.

VII. Prioris generis ſunt Exceptio incompetentiæ, præventionis, & recuſationis judicis.

VIII. Exceptio incompetentiæ, reo convento tunc competit, cum eo in loco vel apud eum magiſtratum, ubi & apud quem conveniri non debeat, agitur. *l. penult. & ult. C. de Except. Lancell. in tract. de officio Prætor. in cauſ. civil. lit. de Except.*

IX. An autem hæc exceptio locum habeat in judicio diffamationis, lis eſt? Negat hoc *Andr. Geil. lib.1. obſerv.9. n.3.* cui & nos ſubſcribimus *ex l. diffamari, C. de Ingen. manumiſſ.*

X. Pari modo quoq; quæritur; An eo caſu, quo Academicus magiſtratus merum imperium & jus gladij habet. Studioſus alibi, quam in loco Academiæ delinquat, judicem competentem habeat Rectorem, an loci delicti ordinarium? Nos, non attenta diſtinctione inter ſtudioſum Clericum & laicum, poſterius defendere annitemur. *Hunn. in Authent. C. Ne filius pro patre. cap.2. quaſt.2.*

XI. Præventionis dicitur, cum actor cauſam uno judicio cœptam ad aliud judicium trahit: aut *R*eus pendente in uno judicio lite, alterius fori eſſe cœperit, proindeq; fori præſcriptione utatur. *l. ubi acceptum.30. ff. de Iudic. Geil. lib.1. obſer.29.*

XII. Exceptio recuſationis judicis appellatur, qua reus judicem recuſat, quod eius perſona non ſit idonea: puta propter inimicitiam capitalem *l.9 ff. de lib. cauſ.* aut propter imperitiam (ſub diſtinctione tamen) juris: item propter cognationem aut affinitatem alterius partis. *c. accedens.4. ut lit. non conteſtat. l. unic. verſ. illo. C. ſi quacunq;*

prædi-

præditus poteſtate &c. aut propter alias ſuſpiciones *Boeer. d. claſſ.5. diſp.16. th. 47. Mynſing. Cent.4. obſ.59. Geil. lib.1. Obſer 33.*

XIII. Sed quæſtio anceps eſt; An conſilium vel Senatus tanquam ſuſpectus recuſari poſſit? Quod negandum arbitramur, niſi omnes aſſeſſores ſint ſuſpecti, aut major pars eorum: aut unus tam magnæ autoritatis ſit, cui alij contradicere non audent. *Menoch. de arb. Iud. qq. lib. 2. caſ. 458. Boer. deciſ. 269.*

XIV. Poſterioris generis, quo ſcilicet judicium tantum differtur, ſunt; Exceptio loci non tuti, temporis anguſti, & feriarum.

XV. Exceptio loci non tuti reis tunc competit, quando aut in loco judicii multos habent inimicos capitales, aut incarcerationem vel aliam iniuriam timent, *l. metus, 3 ff. ex quib. cauſ. major. l. ſed ſciendum. 7. ff. ad Trebel.*

XVI. Et hac exceptione oppoſita, ſolet reis accuſatis ad eorum petitiones, à iudicibus, dummodo tamen cautionem præſtent JUDICIO SISTI, ſalvus conductus dari. *Banc. in tract. crim. § datis defenſionibus. n.35. Petrin. de re milit. par.9. lit. de ſalvo cond. n.17.* quo conceſſo ſecure ad locum judicij venire, & ibi jus ſuum, & innocentiam deducere poſſunt. *Zang. part. 2. c.5. de Except. Iaſon. in l.2. § ſi quis in judicio. n.11. ff. ſi quis caut.*

XVII. Quæſtionis autem eſt; An violetur ſalvus conductus in eo, qui ob maleficium aliquod fuit captus? Id quod negatur, ſi modo maleficium fuerit notorium, *per text. in nov.17. c.1. Mynſ. cent.1. obſ.82. Matth. Col. de proceſſ. execut. p.4. cap.1. n.186.* Affirmatur verò, ſi nondum omnino conſtet de crimine, *argum. l.2. C. de exact. tribut. Col. d. cap. 1. n. 186.*

XVIII. Temporis anguſti exceptio eſt, ſi nimis

 brevis

brevis terminus datus ſit Reo ad reſpondendum libello, vel ad deliberandum, utrum cedere an contendere malit. *authent. offeratur. C. de lit. conteſt. junct. nov. 53. c. 3. Vant. tract. de nullit. proceſſ. tit. de null. ſent. ex defect. cit. n. 67.*

XIX. Et quamvis jure Pandectarum ſufficiat, ſi citatio vel Edictum in cauſis civilibus intervallum decem dierum *l. ad peremptorium 68. junct. l. ſeq. ff. de judic.* in cauſis criminalibus trium dierum *l. 10. ff. de publ. judic.* & jure noviſsimo 30. dierũ cõtineat. *auth. quæ ſemel. C. quomodo & quand. jud. &c*: attamen hi termini hodie judicis arbitrio committuntur, qui eos conſiderata qualitate perſonarum vel cauſæ: item locorumq; diſtantia, abbreviare vel dilatare poteſt. *Menoc. l. 2. qq. Arbit. cent. 2. c. 52. n. 2. & 3.*

XX. Feriarum dicitur, cum quis eo tempore, quo forenſibus negotijs & jure dicendo Magiſtratus vacare ſolent, citatus fuerit. *t t ff. & C. de fer.*

XXI. Lis eſt, an & ijs competat, qui occupati non ſunt in meſſibus? ſententiam aientem ut veriorem amplectimur, quam quoq; tenet *Weſenb. in com. ad tit. ff. de fer. num. 7.*

XXII. Et ſic de primo genere Exceptionum dilatoriarum. Sequitur ſecundum, quod eſt, earũ quæ ad litigatores referuntur: quales ſunt, Exceptio legitimationis perſonarum, contumaciæ & impedimenti.

XXIII. Exceptio legitimationis perſonarum potiſſimum opponitur ijs, qui legitimam perſonam ſtandi in judicio non habent, ut eſt pupillus, minor &c. qui abſq; tutorum & curatorum conſenſu neq; litem intendere neq; excipere poſſunt. *l. 1. & 2. C. qui leg. perſ. ſtand. in jud. non hab. l. 1. §. initium. ff. de poſt.*

XXIV. Obſtat & dicta exceptio Bannitis ex excommunicatis, Cum n. excommunicati & banniti amplius non ſint cives Romani, ſed hoſtes imperij, nullis actionibus

nibus, quæ juris Romani ſunt, experiuntur. *l. ſi quis reus. ff. de publ. jud. Joh. Montan. in defenſ. jur. n. 20.*

XXV. Pari modo quoq; opponitur ijs, qui alieno nomine agere volunt, quales ſunt procuratores, ſi abſq; mandato; aut quidem cum mandato, ſed mutilo & inſufficienti compareant. *l 24. C. de procur. l. 2. § defendi. 3. ff. ex quib. cauſ. in poſſeſſ. eatur. l. ſi procuratorem. 65. & l. 1. ff. de Except. Geil. lib. 1. obſ. pract. 47.*

XXVI. Item ſi perſonæ vel mandantis, quod conſtituendi jus non habuerit. *l. 11. C. de procur.* vel mandatarij, quod conſtitui non potuerit, obijciatur: aut ſi cauſa ejuſmodi, quæ procuratorem non admittat. *Treutl. d. vol. 2. de diſp. 26. th. 3.*

XXVII. Sed hic non commodè quæritur; An is qui 17. annum exceſſerit & 18. attigerit poſſit, eſſe procurator in judicio? Et quamvis Dd. communiter contrarium ſtatuere videantur. *Duar. ad tit. ff. de procur. c. 4. Cramer. diſcept. 2. ad Inſtit. poſit. 14. Weſenb. in paratit. de proc. Sichard. ad l. exigendi. C. eod.* Nos tamen ſententiam affirmativam tueri conabimur. *l 1. § 3. ff de poſt. Donell. 18. com. 3. Clar. Dn. Förſt. p. 1. diſp 2. th. pen. Pac. cent. 3 quæſt. 16 Bronc. cent. 1. aſſ. 49. Harprecht. in comm. de procur. & diſp. 2. th. 18. & alij.*

XXVIII. Difficilis quoq; hic ſeſe offert quæſtio; An ſcilicet abſens in publicis judiciis, per procuratorem defendi poſſit? Diſtinguit *Treutl. vol. 2. diſp. 26. th. 3.* cum quo & nos diſtinguimus, ſi capitalia ſint, & lis cum Reo conteſtata, ut procuratori exceptio cauſæ de jure obijci nequeat. *l. 33. §. 2. ff. de procur. l. 3. C. de accuſat. l. 12. C. de procur.* Sin vero capitalia non ſint, ſive lite conteſtata ſive non, rectè abſens per procuratorem defenditur. *l. 13. C. ad l. Jul. de Adult. Vulteius lib. 1. diſceptation. Scholaſticar. cap. 11. per tot.*

XXIX. Contumaciæ exceptio eſt, quæ ex parte actoris oritur, ſi ſcilicet actor in termino citationis non cōpareat, ſed contumax exiſtat, reus de ipſius contumacia poteſt excipere, ac petere, ut non tantum terminus pro circumducto habeatur; verum etiam actor ad viatica litiſq; ſumptus reddendos reo condemnetur. *l. eum quem 79. in pr. ff. de jud. Bart. in auth. quod fieri. C. de dilat. Wurmſ. in prax. tit. de contum. & ad jud. non venienti. obſ. 1.*

XXX. Exceptio impedimenti eſt, quando reus excipit de impedimento juſto ac legitimo, quod in termino citationis comparere nequeat. Sin vero impedimentum iniuſtum ac affectatum ſit, & reus ſui copiam non faciens, in præſumta ſit contumacia, æque in expenſas actori ſolvendas condemnandus erit. *l. ſancimus. C. de Jud. And. Rauchb. in lib. 1. qq. Jur. q. 1. n. 10. Alex. in l. omnibus. n. 13. ff. ſi quis jus dic. non obtemp.*

XXXI. Abſolutis ſic duobus exceptionum dilatoriarum generibus, ſupereſt, ut & de tertio, cauſam ipſam concernente, agamus.

XXXII. Huius generis ſunt: exceptio præiudicialis, quæ opponitur actori, qui prius alia actione experiri tenetur, antequam actionem propoſitam movere poſſit. *l. fundum 16. & l. fundi. 18. ff. de except.*

XXXIII. Item exceptio plus petitionis, cui locus eſt, ſi actor, vel re, vel tempore, vel cauſa, vel loco plus petat. *§. Temporales. 10. v. alioqui. Inſt. de except. §. ſi quis agens. 33. cum ſeqq. Inſt. de act.* Sic quoq; exceptio inepti & obſcuri libelli. *VVendel. Schelling. in except. forenſ. explanat. cap. Exceptio generalitatis & incertitudinis libelli, verſ. exceptio generalitatis. pag 345. Andr. Geil. lib. 1. obſerv. pract. obſ. 62. n. 13. & obſ. 66. n. 6.* Item litis pendentis, qua utitur reus, ſi lis de ea re, quæ in iudicium deducitur, coram alio iudice pendeat.

XXXIV. Similiter hujus ordinis exceptio eſt cedendarum actionum, quæ competit fideiuſſori contra debitorem, qui ab illo debitum judicatum exigit ad hoc, ut ipſi fideiuſſori ſolventi debitum actiones ſuas creditor adverſus principalem debitorem, & confideiuſſores cedat. *l. ſi mandatum. 13. l. cum is. 36. l. ut fidejuſſor. 39. & l. ſi fidejuſſores. 41. §. 1. de fideiuſſor. l. cum alter. 11. C. eod.*

XXXV. Sed quæſtio anceps eſt, An ejus etiam partis nomine, quæ ipſum ſolventem contingit cedenda ſit actio fideiuſſori: ita ut eadem à confidejuſſoribus repetere poſsit, an verò ſaltem ceſsio, quod attinet ad partes reliquorum fieri debeat? Poſterius ut veritati proprius defendemus per ea, quæ tradit *Hartm. Piſtor. lib. 1. quæſt. jur. quæſt. 48. n. 5. & ſeqq.*

XXXVI. Movetur & illa quæſtio: An actio in ſolidum contra quemlibet ipſorum, an vero pro rata cujuſq; cedi debeat? Et in ſolidum cedi debere actionem concludimus. *vide Hartm. Piſtor. d. quæſt. 48. n. 10. verſ. Hiſce ita firmatis. &, n. ſeqq.*

XXXVII. Hujus item claſsis eſt, exceptio excuſsionis, quæ competit fideiuſſoribus conventis à creditore, antequam principalis excuſſus fuerit. *Nov. 4. c. 1. Oldend. in Enchirid. Except. cap. Except. excuſſ.*

XXXVIII. Sed hic à Dd. quæri ſolet; An, ſi fideiuſſor ſe obliget tanquam principalem debitorem als einen ſelbſtſchuldenern / beneficium excuſſionis amittat? Id quod communiter approbatur. *Fach. lib. 8. controv. Iur. c. 54. Geil. lib. 2. obſ. 28. Bart. in l. hi qui acceſsionis. n. 16. ff. de fideiuſſorib. Marſil. ad Rubr. d. tit. n. 62.*

XXXIX. Sunt deniq; hujus farinæ: Exceptio pacti de non petendo intra certum tempus: item exceptio ſatisdationis, appellationis deſertæ vel non devolutæ: Exceptio ne reus conveniatur, ultra id, quod facere poteſt & ſimiles.

40. Hu-

XL. Hucuſq; de Exceptionibus dilatoriis ſeu temporalibus: ſuccedunt nunc ordine, peremptoriæ ſeu perpetuæ, quæ ſemper, (ut ſupra diximus) agentibus obſtant, & rem, de qua agitur, perimunt. *§. Appellantur. verſ. perpetua Inſt. de except. l. 7. ff. eod.*

XLI. Harum quædam vel ab initio naſcuntur, vel poſtea novis de cauſis exiſtunt. *Don. lib. 22. Com. cap. 2. in fin. & ad Rubr. C. de except. n. 14.*

XLII. Prioris generis naſcuntur aut ex eo, quod factū eſt: ut ſunt exceptio doli, erroris, non numeratæ pecuniæ & ſimiles: aut ex perſona creditoris aut debitoris, ut exceptio SCti Macedoniani & Vellejani. *Treutl. vol. 2. diſp. 26. th. 5.*

XLIII. Exceptio metus datur adverſus petentem id, quod metu promiſſum eſt. *l. 7. C. quod met. cauſ.* ut & exceptio doli contra eum, qui dolo malo quid petit. *l. 2. §. item quæritur. l dolo. ff. de doli mali except.*

XLIV. Quæſtio hic occurrit non inanis; An exceptio doli contra ſucceſſorem autoris, qui dolo fecit, competat? ubi diſtinguimus, an ſucceſſor rem ex cauſa lucrativa, an oneroſa acceperit. Priori caſu contra eum competit, poſteriori non item. *l 4. §. de Autoris. 27. & §. ſeq. ff. de doli mali & met. except. l. ſi rem. 6. ff. de except. Bargal. diviſ. 7. lib. 2 de dolo.*

XLV. Erroris exceptio, quæ & in factum dicitur, competit reo, qui ſine cauſa aliquid per errorem promiſit, dum cauſam promittendi putavit ſubeſſe, quæ nulla fuit. § 1. *verſ. verbi gratia. Inſt. h. t.*

XLVI. Exceptio non numeratæ pecuniæ datur ei, qui ſpe futuræ numerationis, ſe pecuniam accepiſſe in chirographo confeſſus fuerit, quam tamen revera non accepit. *§. idem juris, Inſt. h. t. & tot. tit. C. de non numerata pecun.*

XLVII. Sed

XLVII. Sed & hic intricata ac nodoſa ſeſe offert quæſtio; An ſcilicet reus audiatur, ſi poſt definitum ac præſtitutum legibus tempus, puta poſt biennium, dictam exceptionem opponere velit? Negativam, ut juris rationibus magis conſentaneam, tuebimur, *per textum. ibi, poſt multum temporis exceptionem opponere non poteſt. Inſt. de literar. oblig l. ſi quis intra. 8. in fin. & l. in contractibus. 14. §. illo. C. de non numer. pecun.* Et ne quidem ſi onus probandi in ſe ſuſcipere paratus ſit. *Don. 14. Com. c. 38 & ad. l. 8. n. 21. C. de non numer. pecun.*

XLVIII. SCti Macedoniani exceptio eſt, quæ non tantum filiofamilias, ſed etiam patri & utriuſq; ſucceſſoribus datur ad impugnandam actionem, qua creditor petit pecuniam ipſi filiofamilias improbè mutuò datam. *l. ſed ſi pater. 9. §. 3. & l. 7. §. mutui. & tot. tit. ff. ad SCtum Macedon.*

XLIX. Sed dubia quæſtio eſt; Anne filiusfamilias huic exceptioni poſsit renunciare? ibi negantibus adſtipulamur. *ex l. tamen ſi. 11. ff. ad SCtum Macedon. Fachin. 3. controv. lib. 2. cap. 61.*

L. Exceptio SCti Vellejani datur mulieri ex interceſſione ſua obligatæ *l. 2. §. 1. l 7. l. 8. § 2 ff. ad SCtum Vellejan. l. ſi paternam. 8. & ſeq. C. d. t.*

LI. Multis modis hic quæritur; Numne mulier huic beneficio SCti Vellejani poſsit renunciare? Et licet de hac quæſtione Dd. judicia admodum varient, alijs ſimpliciter id negantibus, alijs diſtinguentibus; nos tamen ſententiam aientem amplectentibus; modo mulier de iſthoc ſuo jure prius certiorata fuerit, calculum noſtrum addere, haud verebimur. *Laur. Kirch. cent. 3. comm. opin. concluſ. 10. Geil. lib. 2. obſerv. pract. obſ. 77. n. 2. & ſeqq. Bronch. cent. 2. ἐναντιοφ. aſſ. 40.*

LII. Et tantum de ijs exceptionibus peremptorijs, quæ ab initio naſcuntur: ſequitur nunc, ut eas, quæ poſtea novis de cauſis exiſtunt, paucis attingamus.

LIII. Quales ſunt, Exceptio ſolutionis, obſignationis ſolemnis, pacti conventi de non petendo, Jurisjurandi, præſcriptionis, compenſationis, rei judicatæ, &c.

LIV. Solutionis exceptio opponitur creditori, cui à debitore, vel alio ejus nomine debitum eadem quantitate vel qualitate, fuit ſolutum ac præſtitum; proindeque invito creditori debitum particulatim non rectè ſolvi arbitramur. *l. tutor.§.Lucius.ff.de uſur.l.plane.ff.fam. erc. Bronch.cent.2.ἐναντιοΦ. aſſ.17.*

LV. Solemnis obſignationis exceptio eſt, cum à debitore pecunia credita oblata & obſignata, in locum publicum fuerit depoſita. *l.ſi creditrici.6.l.acceptum.19.C. de uſur.*

LVI. Solam itaq; oblationem, liberationem non afferre, nec curſum uſurarum impedire, contra Molinæum *in tract. de uſur. & comm.quæſt.39.n.296.* ſtatuimus. *Bart. Salycet. in d.l.ſi creditrici.6.C. de Uſur. Hugo Don. & Jacob. Cujac.in l.qui Romæ.122.§.Seia.ff.de V.O. Neguſ.in tr. de pign. in 3.par memb.5.Boer.deciſ.324.n.22.*

LVII. Jurisjurandi exceptio eſt, quæ competit reo, qui deferente actore juravit, nihil ſe dare oportere, vel juravit eam rem ſuam eſſe, quam actor petit. *§. æquè ſi debitor. Inſt. de except.*

LVIII. Exceptio præſcriptionis opponitur ei, qui rem ſuam certo tempore non petiit. *t.t ff.de div.& temp. præſcript.*

LIX. Sed quæritur; An minoribus contra præſcriptionem auxilium reſtitutionis in integrum decerni poſſit? Quod affirmandum cenſemus *ex l. unic. C.ſi adverſus uſucap.*

LX. Quæ-

LX. Quæſtionis quoq; elegantis; An ex capite ignorantiæ contra præſcriptionem maiores in integrum reſtitui poſsint? Ubi ſententiam negativam, à Dd. communiter adprobatam, conſtitutioneq; Electorali. *9.p.2.* confirmatam, defendendam ſuſcipiemus. *Fach. 1. contr. 69. VVeſemb. in parat. D. quib. cauſ. major. n. 10. Dn. Förſter p. 7. d. 9. th. 10.*

LXI. Exceptio rei iudicatæ tribuitur reo, pro quo iudicatum eſt, ad perimendam actionem, qua actor de eadem re, eademq; cauſa in iudicio experitur. §. *item ſi in judicio. Inſt. de Except. & t. t. ff. de except. rei judicat.*

LXII. Sed ſummè controvertitur; An adverſus rem iudicatam, propter inſtrumenta noviter reperta, ſi quis ex iuſta & probabili ignorantia ea non produxerit, reſtitutio ſit indulgenda? Negativam defendere laborabimus. *Cuman. in l. Imperatores. de re jud. Fach. 1. Contr. 51.*

LXIII. Et tantum de exceptionibus per ſe. Supereſt ut & de recto uſu, in quo duo obſervanda veniunt, numerus ſcilicet exceptionum proponendarum, & tempus obiiciendi, nonnihil dicamus.

LXIV. Numerum quod attinet, certi ac indubitati iuris eſt, quod pluribus exceptionibus uti nemo prohibeatur. *arg. l. 43. de R. J. l. is, qui dicit. ff. de except.*

LXV. Tempus obiiciendi quod concernit, primo omnium diſtinguendum eſt, inter Exceptiones dilatorias ſeu temporales, & peremptorias ſeu perpetuas.

LXVI. Exceptiones dilatoriæ ſeu temporales regulariter ante litis conteſtationem proponendæ ſunt: niſi forte aliqua de novo ſibi competens exorta fuerit, vel gravamen ſucceſſivum habeat, aut iudicium retrò nullum reddat. *Sichard. ad l. 24. C. de proc.*

LXVII. Sed quæritur, utrum hæ exceptiones poſt ſententiam poſsint opponi? Quod negandum cenſe-

mus, niſi in ijs, quæ ſententiæ & eius excutioni opponuntur. *Treutl. d vol.2.d ſp.26.th.7. Hoen.diſp.22.th.12. Geil. lib.2. obſer.107. Marant p.4. diſt.36.*

LXVIII. Peremptoriæ ſeu perpetuæ exceptiones in qu[illegible] actione poſt litem conteſtatam uſq; ad ſententiam opponi poſſunt. *l.9. C. de except.* Jure tamen Canonico, & uſu recepto ante litem conteſtatam in vim dilatoriarũ rectè opponuntur; modo ut in continenti probari poſsint, alias earum excuſsio poſt litem conteſtatã reſervatur. *Bart. & Dd. in l.1 de jureiurand. Geil. lib.1. de pac. publ. quæſt.11.n.30. Menoch. de arbit. Iud. qq.19.*

LXIX. Sunt & exceptiones peremptoriæ, quæ poſt ſententiam opponi poſſunt: ut exceptio SCti Macedoniani, Vellejani, & exceptio, quæ competit ei, qui ultra, quam facere poteſt, non tenetur.

LXX. Acris inter Dd. concertatio hoc loco oritur, de exceptione diviſionis ex Epiſtola Divi Hadriani; An ſcilicet illa poſt ſententiam poſsit opponi? Opinio negata magis placet. *ex text. in l. fideiuſſores 10. in fin. C. de fideiuſſ. Bronch. Cent.4. ἐναντιοφ. aſſ.28.*

LXXI. Tandem, ut concludamus, ſequitur paucis de exceptionis cujuſq; excluſione, quæ replicatio dicitur, & actori prodita eſt ad reſolvendum jus exceptionis. §.*1. Inſt. de replicat.*

LXXII. Oppugnatur autem replicatio per duplicationem, duplicatio per triplicationem; triplicatio per quadruplicationem, & ſic deinceps. *tot. tit. Inſt. de replic.*

LXXIII. Notandum vero hoc loco venit, quod in dilatorijs ultra duplicationem, in Camera in peremptorijs ultra triplicationẽ nõ procedatur. *ord. Cam. p.3. tit 22* §. Wo aber / & *tit 29. in fin.* quod quoque ſequutus eſt Auguſtus Elect. Sax. in ſuis conſtit. provincialibus *p. 1. tit.18.*

Corolla-

Corollaria. 2.

1. An filius per ſubſequens matrimonium legitimatus ſuccedat in feudum. A.

2. An uſusfructus feudi ad patrem pertineat, quandiu vivit Vaſallus. D.

ET TANTUM.

SOLI DEO LAUS, HONOR ET GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE